



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 109. Turcarum expeditio in Moldaviam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

S. Martini septentibus antea ferreis, ar-
 genteos subrogaturum. Id etiam exsol-
 vit Anno Domini millesimo quadri-
 gesimo septuagesimo nono, constructis cla-
 thris, quorum pondus constituebant sex
 millia septingentæ septuaginta sex selibræ
 argenti, duæ uncia dempta octava drach-
 mæ partesita testatur Auctor vitæ S. Marti-
 ni recens conscriptæ. Porro hic Viennensis
 Archiepiscopus idem ipse est, ad quem
 Comminæus persæpe in suis relationi-
 bus sermonem convertit, ejusque vitæ
 historiam ad calcem suorum operum ad-
 jecit.

Sæcul. XV.
 A.C. 1476.

Vid. edit.
 Comm. ann.
 1723. in
 5. volum.

§. CIX.

Turcarum expeditio in Moldaviam.

Cardinalis Papiensis hoc anno Mense Ju-
 lio ad Mantuanum Cardinalem scribens *Papiens. epist. 648.*
 significat, instructum fuisse a Mahomete II.
 exercitum quingentorum millium Turca *Michov. lib. 4*
 rum, eosque in Moldaviam descendere *cap. 71.*
 paratos esse. Ex Scriptoribus quoque *Crom. lib. 28.*
 Polonis intelligimus, Moldaviam ab ipsis
 quoque Tartaris invasam fuisse, ac Ste-
 phanum Vaivodam seu Palatinum, de
 cujus insigni victoria dictum est anno su-
 periori, obviam illis processisse, eisque
 ingenti clade fugatis, opimam prædam
 reportasse. Nihilominus Mahometes
 trajecto Danubio ubique infesta signa
 P p 2 intus

Sæcul. XV. intulit, & quamvis Stephanus variis
A.C. 1476. præliis ad triginta Turcarum millia trucidasset, levis tamen erat ejusmodi jactura in tanto infidelium exercitu: præterea Moldavi, sive quod viribus suis diffisi, sive Palatino suo haud amplius pari affectu ac studio addicti essent, unice ad suos reverti contendebant, hanc ob rem & ipse Stephanus se benigniori fortunæ servare cogebatur: Turcæ autem depredatis nonnullis Provinciis Poloniæ finitimis ad sua quoque revertebantur, forte quod Casimirum, qui adversus eos movebat, pertimescerent, aut pestilentiae & famis vi, qua non sine ingenti strage absumebantur, secedere compellerentur, sive denique quod hiems appropinquasset, & classis, quæ novam militiam, & machinas ad expugnandas munitiones subvehebat, sæva tempestate disjecta, ac pene integra periisset.

§. CX.

Regis Hungariæ vana jactantia de Turcarum recessu.

*Papiens.
 epist. 656.*

Matthias Hungariæ Rex, ubi cognovit Mahometis exercitum recessisse, Turcam a se pulsum fuisse, solita sua jactantia ubique divulgabat. Idem quoque nimia facilitate credebant ipse summus Pontifex, omnesque Principes, populi,